



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Totius Tractatus De S. Matrimonij
Sacramento R. P. Thomæ Sanches E Soc. Iesv**

Sánchez, Tomás

Coloniæ Agrippinæ, 1624

2. Papa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41559

dere, nisi videat alterum poenitere pacti initi,
& probabiliter in incontinentiam labi. Item
vterque potest petere, & reddere per modum
amicitiæ, non tamen exigere, *lib. 9. disp. 37. de
num. 18. vsque ad 24.*

Papa.

1 Papa nec ex causa potest dispensare in ma-
trimonio consummato, *lib. 2. disputat. 13. num.*
11. Potest tamen dispensare in rato, & non
consummato. Et non potest statuere, vt ma-
trimonium ratum dirimatur per subsequens
copula consummatam, *lib. 2. tota disput. 14.*

2 Probabile est, Papam posse validè dispē-
sare in matrimonio rato absque iusta causa.
Sed probabilius est, non valere dispensationē.
Et existente illa, potest dispensare altero eo-
rum inuito, *lib. 2. tota disp. 15.*

3 Causæ iustæ, vt Papa possit dispensare in
matrimonio rato, sunt sequentes. Prima, no-
tabilis disparitas. Secunda, grauis timor scan-
dali magni futuri. Tertia, lepra alteri superue-
niens, vel impotentia. Quarta, quando alter
coniugatorum asserit, se non habuisse animū
contrahendi. Quinta, vt vir efficiatur Episco-
pus. 6. Mutuus coniugum consensus, *lib. 6. to-
ta disp. 16.*

4 Papa potest dispensare in matrimonio
consummato infidelium, dum ad fidē redeūt,
lib. 2. tota disp. 17.

5 Papa non potest leges Iustiniani repudia-
permittentes, approbare, *lib. 10. disp. 1. nu. 12.*

6 Papa potest existente iusta causa, validè, & iuste imponere impedimenta fidelibus, vt Princeps ecclesiasticus. At infidelibus habitantibus oppida suæ temporali iurisdictioni subdita, vt Princeps sæcularis. Item potest aliquos priuatos reddere inhabiles ad contrahendum inter se iusta existente causa. Et non solum inter se, sed in perpetuum, in grauisissimi delicti pœnam, *lib. 7. tota disp. 1.*

7 Papa potest reuocare suas Constitutiones quoad effectus in eis incurfos indirectè, non tamen directè, *lib. 8 disp. 7. nu. 4.*

Parochus.

1 Parochus non potest matrimonio cõiungere contrahentes alienigenas, vel peregrinos, siue ambo, siue vnus sit, donec ab Ordinario obtineatur licentia. Secus dicendum de non peregrinis, præmissis denũtiationibus, & nullo opposito impedimento. Et si opponatur, nõ potest parochus cognoscere de illo: sed interdiceret tantum matrimonium, & deferre ad Ordinarium, *lib. 3. disp. 15. nu. 1. 2. & 3.*

2 Parochus non potest coniungere matrimonio volentes ducere aliam vxorem contra priora sponsalia; nec prius affirmantem, & post a negantem impedimentum. Poterit tamen adhibere fidem affirmanti, se fictè consensum præstitisse, quando notabilis est disparitas inter promittentem, & recipientem promissionem *lib. 3. disp. 15. nu. 5. 6. & 7.*

3 Parochus sciens impedimentũ extra cõfessio.